

**De chiloplastice et stomatopoesi adjecta nova illam instituendi methodo :
dissertatio inauguralis medico-chirurgica ... / auctor Fridericus Mauritius
Oswaldus Baumgarten.**

Contributors

Baumgarten, Friedrich Moritz Ostwald, 1813-1849.
Universität Leipzig (1409-1953)
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Lipsiae : Typ. Breitkopfio-Haertelianis, 1837.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/mgna684f>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DE
CHILOPLASTICE
ET
STOMATOPOESI

ADJECTA NOVA ILLAM INSTITUENDI METHODO.

DISSERTATIO INAUGURALIS
MEDICO-CHIRURGICA
QUAM
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

AUCTORITATE
IN ACADEMIA LIPSIENSI
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE CAPESSENDIS
ILLUSTRIS ICTORUM ORDINIS VENIA
IN AUDITORIO JURIDICO
DIE IV. MENS. AUGUSTI A. MDCCCXXXVII.

PUBLICICE DEFENDET
AUCTOR
**FRIDERICUS MAURITIUS OSWALDUS
BAUMGARTEN**

DRESDANU
MEDICINAE BACCALAUREUS.

ACCEDUNT QUATUOR TABULAE LITHOGRAPHICAE.

LIPSIÆ,
TYPIS BREITKOPFIO-HAERTELIANIS
MDCCCXXXVII.

DE
CHIROPLASTICE

ET

STOMATOPOEII

ADHUC NOVA ET ALIA INSTITUENDI METHODO

DISSERTATIO IN AUSECULARIS

MEDICO-CHIRURGICA

GRATI

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

ACADEMIAE

IN ACADEMIA LIPSIA

PRO SENIOR

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

ETIT LIPSIAE

HESTERIS RECTORUM ORDINIS AEMIA

IN DIETONIO MEDICO

DIE IV. MENS. AUGUSTI A. MDCCXXVII

FRIDERICUS

AVTOR

FRIDERICUS MAURITIUS OSWALDUS

DAUMGARTEN

BRASIAE

MEDICINAE BACCALARIUS

ACCEPTUM ET CUM LAUDE IN LIPSIENSIS

LIPSIAE

APUD HERRMANNIUM - HANDELINGIUM

MDCCXXVII

VIRIS ILLUSTRIBUS
EXCELLENTISSIMIS AMPLISSIMIS
EXPERIENTISSIMIS
JOANNI CHRISTIANO
AUGUSTO CLARUS

POTENTISS. REG. SAXON. A CONSILIIS AULAE ET RERUM
MEDICINALIUM; ORDINIS SAXON. VIRTUT. CIVIC. ET ROSSICAE
A ST. WOLODOMIR COGNOMIN. EQUITI; PHILOS. ET MEDIC.
DOCTORI, CLINICES MED. IN LITER. UNIVERS. LIPS. P. P. O.;
FACULTATIS MEDIC. LIPS. ASSESSORI; INSTITUTI CLINIC.
REGII MEDICO PRIMARIO; UNIVERS. URBISQUE MED. PUBLICO;
COLLEG. PRINCIP. MIN. SODALI; SOCIET. OECON. ET NATURAE
SCRUT. LIPS. ATQUE OSTERLANDI SOCIO ETC. ETC.

VIRIS ILLUSTRIBUS

EXCELLENTISSIMIS AMPLISSIMIS
EXPERIENTISSIMIS

JOHANNI CHRISTIANO
ET
AUGUSTO CLARUS

PHYSICUS, REG. SACCUS, A. CONSILIUS AULAE ET REIPUBLICAE
MEDICINAE, ORDINIS SACCUS, PHYSICUS, CIVICUS ET REIPUBLICAE
A. ST. WOLFGANGI COELEN, EQUITIS, PHYSICUS ET REIPUBLICAE
DOCTOR, CLAUSTRUS REIPUBLICAE, PHYSICUS, REG. SACCUS, A. CONSILIUS AULAE ET REIPUBLICAE
PHYSICUS, REG. SACCUS, A. CONSILIUS AULAE ET REIPUBLICAE
PHYSICUS, REG. SACCUS, A. CONSILIUS AULAE ET REIPUBLICAE
PHYSICUS, REG. SACCUS, A. CONSILIUS AULAE ET REIPUBLICAE
PHYSICUS, REG. SACCUS, A. CONSILIUS AULAE ET REIPUBLICAE

FRIDERICO AUGUSTO ab AMMON

POTENT. REG. SAXON. ARCHIATRO ET A CONSILIIIS AULAE;
TYPHLOTROPH. ET INSTITUT. OPHTHALM. DRESD. MEDIC.
PRIMAR.; ACADD. MED. HAFNIENS. MOSCOVIT. PARISIENS.
HOLMIENS. ET SOCIETT. PHYSICAL. ET MED. BEROLIN.
BONNENS., DRESDENS., ERLANG., FRANCOFURT. AD M.,
FRIBURG., HANAV., HEIDELBERG., JASSIENS., LIPSIENS.,
LUGDUN., MARBURG., MINDENS., TURICENS., SODALI ETC.

PRAECEPTORIBUS ATQUE PATRONIS

OMNI PIETATE COLENDIS

HUNC LIBELLUM ACADEMICUM

GRATISSIMI ANIMI DOCUMENTUM

ESSE

PRÆCEPTORIBUS ATQUE PATRONIS

OMNI PIETATE COLENDIS

VOLUIT

AUCTOR.

Per varios usus artem experientia fecit,
Exemplo monstrante viam.

Manil.

PROOEMIUM.

Quum in eo sit, ut ad capessendos summos in arte medica honores hasce studiorum meorum in palaestra medica primitias in publicum emit- tam, non anceps diu et incertus haesi in eligendo hujus praefationis idoneo argumento. Nam quod jam dudum ardenti desiderio equidem exoptavi, Viro Illustri ab Ammon ob innumera erga me humanitatis summaeque benevolentiae documenta devinctissimum meum animum publice declarare, id mihi nunc aliquatenus contigisse, vividissima cum voluptate sentio. Meum nimirum esse puto in ipso hujus opusculi limine palam lectoribus confiteri, Virum Illum Illustrem et in utraque arte Apollinea maxime inclytum non solum in seligenda scribendi materia mihi fuisse auctorem et suasorem, verum etiam me dignum habuisse, qui novam chiloplastices methodum, quam ipse ante paucos annos invenit, accuratius describerem. Quibus accedit, quod gravissimis hujus generis operationibus in cadavere institutis me instruxit, et in elaboranda dissertatione ipsa multis iisque prudentissimis consiliis nec non necessaria libro-

rum supellectile tam singulari comitate me adjuvit, ut magis, quam eloqui possum, ei obstrictum me sentiam. Caeterum impetrare a me non possum, quin etiam Viris Experientissimis, Zeisio et Schoenio, medicis Dresdanis, sinceras mei pectoris grates propter literaria nonnulla adminicula, quae mihi largiti sunt, hic publice profitear.

Sic igitur rem a recentioribus chirurgis maxime quidem excultam, tamen, quantum equidem scio, a nemine hucusque peculiari libro accurate descriptam, his pagellis exponere ausus sum, quamvis diu ab initio Horatianis illis praeceptis sollicitarer: „Sumite materiam vestris, qui scribitis, aequam viribus, et versate diu, quid ferre recusent, quid valeant humeri.“ Attamen tantum abest, ut, quum bene sciam, quam sublimem et difficilem chirurgiae partem tractaverim, perfecti aliquid, quod simul ad multorum redundaturum sit utilitatem, procreasse mihi videar, ut in universum hanc commentationem academicam magis discendi, quam docendi causa scriptam esse putem.

Quapropter, Vos inprimis, Lectores benigni, enixis precibus rogatos esse cupio, ut exiguos mei laboris fructus aequae ac clementer dijudicetis, Vobisque habeatis persuasum, omnes me in posterum intenturum esse nervos, ut thura quoque Vobis offerre aliquando mihi contingat.

INTRODUCTIO.

Etsi antiqua illa, quam HIPPOCRATES olim pronunciavit, sententia, artem medicam adjiciendo et demendo maximam partem exerceri, sub hodierno literarum lumine vix invenerit asseclam, tamen haud scio, annon simile quid nostris diebus speciatim de chirurgia possit contendere. Etenim nemo profecto, qui altiores hujus artis recessus appetere studuit, unquam ibit infitias, maxime salutiferos chirurgiae effectus tam a destructione partium morbosarum, quam a restauratione curtarum esse expectandos; quod quam verum probatumque sit non solum scholae chirurgicae docent, verum longaeva etiam experientia innumeris testatur documentis. Nolo hic de cauteriis, cultris et reliquis, quotquot ad destruendam aut removendam aliquam partem organicam adhiberi solent, instrumentis, deque vi eorum medicatrice longiorem sermonem exordiri, quoniam id a proposito hujus dissertationis fine nimis alienum foret. Altera vero chirurgiae gravissima pars ea est, quae multiplicem et artificiosam, illam agendi rationem docet, qua partes organicae sive decurtatae, sive mutilatae, aut resarciri aut plane restitui possunt. Haec autem ars in variis libris chirurgicis diversa denominatione insigniri solent. Dicitur enim chirurgia curtorum ¹⁾, chirurgia anapla-

1) Curta apud Graecos *κολοβοματα* vocantur.

stica²⁾, restitutio organica, restitutio partium deperditarum, transplantatio, morioplastice³⁾. Etiam si priscis saeculis ea gloria denegari nequeat, hanc curtorum chirurgiam sub iis natam primumque excultam esse, tamen recentioris imprimisque nostrae aetatis est meritum, quod illa magis amplificata nec non ad splendidissimum perfectionis gradum nunc evecta sit. Atque quae exinde in universum genus humanum redundaverit, utilitas tanta est, ut, qui ejus magnitudinem recte dijudicare cupiat, in annalibus medico-chirurgicis sufficientem felicissimarum observationum copiam certissime inveniat. Hodierna enim chirurgia plastica eo progressa est, ut rhinoplasticen, blepharoplasticen, otoplasticen, chiloplasticen, stomatoplasticen, genioplasticen, staphyloplasticen, uranoplasticen, bronchoplasticen, urethroplasticen, cystoplasticen, enteroplasticen amplectatur. Ex patentissimo hoc chirurgiae curtorum campo chiloplasticen selegi, ut de ea potissimum hunc libellum academicum conscriberem. Ars chiloplastica tam gravis et salutaris est, ut verissime dolendum sit, quod tam pauci hucusque exstent libri, in quibus accurate et diligenter tractata inveniatur; quod quam verum sit, ipsa hujus artis historia comprobare potest. Praeterea etiam apud me constitui de stomatopoesi, quae arctissimo vinculo cum chiloplastice conjuncta est, breviter exponere.

2) *Anbildende Chirurgie, Organischer Wiederersatz, Organische Plastik, Wiederherstellung verstümmelter Theile des menschlichen Körpers u. s. w.*

3) Illustris ab AMMON primus hoc nomine usus est in: *Rust's Magazin. Bd. XXX. (Morioplastik).*

P A R S I.

DE CHILOPLASTICE ET STOMATOPOESI IN UNIVERSUM.

CAP. I.

Onomatologia.

Quae jam diu invaluit consuetudo in variis literarum disciplinis brevitatis, non dicam elegantiae causa plurium verborum compositionem e graeca lingua utpote maxime flexibili et molli depromere, ea ad hodiernum usque diem non sine fructu in omnibus medicinae doctrinis usu est servata, multumque ad singulas chirurgiae anaplasticae partes breviter denominandas valuit. Sic chiloplastice¹⁾, sive cheiloplastice, uti alii scribunt, artem labia restaurandi optime exprimit. Eodem jure Francogalli, qui recentissimis temporibus huic arti magnam operam impendebant, eam nominare solent *la cheiloplastique*, *la cheiloplastie*, *la chiloplastie*. Attamen non in omnibus eorum scriptis inveniuntur hae denominationes. Sic verbi causa quae apud BLANDIN²⁾ leguntur: „la cheiloplastie ou chyloplastie est l'autoplastie de lèvres“ neutiquam mihi arrident. Nam etiamsi cau-

1) a Graeco *χειλος*, labium, et *πλασσω*, formare.

2) Autoplastie ou restauration des parties du corps, qui ont été détruites par PH. FRÉD. BLANDIN. Paris 1856. pag. 69, ubi de vocabulo autoplastie exponit. Panegyricum hujus operis invenimus in: *Zeitschrift für die gesammte Medicin, herausgegeben von DIEFFENBACH, FRICKE und OPPENHEIM. Bd. 2. Heft 1. Seite 125 — 129.*

sarum vanitatem, quibus vir celeberrimus ad usum vocabuli *l'autoplastie* commotus fuerit, multis hic exponere longum sit, id solummodo vituperare mihi liceat, quod chiloplasticen appellat *la chyloplastie*, quoniam hoc verbum nonnisi a *χυλος* derivari, atque chylicationem ad summum exprimere possit. Caeteroquin silentio praeterire non possum, aliam quoque me valdopere offendisse denominationem, quam DELPECH³⁾ recentissimo tempore usurpavit, nimirum *l'achyloplastique*, quae nullo modo artem labia restaurandi recte exprimere valet. Verumtamen nolo diutius huic disquisitioni inhaerere. Nos in universum sub chiloplastices nomine eam intelligimus artem, quae variam et multiplicem exercet encheiresin, qua labia, plus minusve deperdita, per transplantationem cutaneam restaurari possunt. Haud pauci fuerunt chirurgi doctrina celebratissimi, qui quemadmodum aneurysmata, hernias et sic porro, ita chiloplasticen etiam dividendam esse autumarent in veram atque spuriam. Attamen mihi persuasissimum habeo ejusmodi distinctionem et notionibus genuinis nocere, et hodiernae literarum dignitati haudquaquam convenire. Sic veram chiloplasticam eam labiorum restaurationem dixerunt, quae per insitionem partis alicujus cutaneae peragatur, spuriam contra unamquamque aliam chirurgicam actionem, qua in curandis labiis vel vulneratis vel leporinis vel denique minori ambitu resectis⁴⁾ plerumque utendum est. Num autem, ut hoc unum commemorem,

3) Vide: Chirurgie de Montpellier par DELPECH. Paris 1828. Tome second, pag. 600.

4) WILHELM HOFFACKER *Beobachtungen über die Anheilung abgehaener Stücke der Nase und Lippen (in den Heidelberger Klinischen Annalen Bd. IV. Heft 2. S. 252—248.)*.

simplex alicujus vulneris reunio cum restitutione partium deperditarum organica jure meritoque aequari potest? Et si ab eo etiam discedamus, nonne simplicitati, quae, uti in omni scientia, ita etiam in medicina atque chirurgia vehementer adhuc desideratur, repugnat ejusmodi superflua nominum accumulatio? Cum igitur chiloplastice spuria nulla sit, per omnem hujus libelli decursum hanc denominationem evitare liceat. Quod porro ad veram sic dictam chiloplasticam attinet, de qua hic libellus praesertim conscribitur, negari nequit, eam quoque hucusque a permultis justo latiori magisque generali sensu usurpari, quam par est, ita ut verbi causa cum stomatopoesi saepissime confundi soleat. Quapropter AMMONIO suadente summae etiam curae habui, ut inter utramque certiores fines terminosque constituam. Stomatopoesin⁵⁾ eam dicimus artem chirurgicam, qua variae oris ejusque aperturae deformitates sive congenitae sive acquisitae fuerint aut sanari aut saltem emendari possunt. Gravissimum, quod inter hanc artem et chiloplasticam intercedit, discrimen in eo quaerendum est, quod utriusque finis admodum diversus est. Per stomatopoesin functiones oris ejusque formam naturalem, per chiloplasticen labiorum integritatem restituere cupimus. Quantum os discrepat a solis labris, tantum etiam a stomatopoesi labiorum restaurationem differre, perspicuum est. Attamen in hac re bene monendum est, in peragenda stomatopoesi persaepe etiam ad chiloplasticen esse confugiendum, quoniam sine labiorum integritate ipsae oris functiones recte procedere nequeant.

5) a Graeco: το στομα, os et ποιω, facio, formo.

De indicationibus chiloplastices et stomatopoeseos principalibus.

Permulta in libris pathologicis inveniuntur labiorum mala, quae sub certa quadam rerum conditione eorum restorationem per transplantationem expostulare possunt. Inprimis autem cancer⁶⁾ et carcinoma, telangiectasia, noma, ulcera syphilitica, scrophulosa, herpetica, gangraenosa variique labiorum tumores optimo jure eorum numero adscribuntur. Proxima tamen causa, qua operatio chiloplastica indicata est, semper in defectu aliquo substantiae labialis quaeri debet, qui tantus est, ut sola reunionis via tolli nequeat. Ejusmodi jactura duplici ratione oriri potest aut artificiosa aut pathologica; illa per cultrum chirurgicum, haec per destructionem morbosam. Verumtamen frequentissima causa exstirpatio chirurgica est, qua canceri et nomatis curatio, quibus labia prae ceteris obnoxia sunt, vehementer indiget. Remedia caustica, utpote olim usitatissima, rarissime tantae virtutis sunt, ut in sanandis illis vitiis exstirpatione possimus carere, atque sic in re tam desperata fere semper ab excisione totius partis affectae unica salus

6) Lectu dignissima sunt, quae de his morbis inveniuntur apud: Cels. de re med. lib. VI. cap. XV: „de cancro oris.“ STEPHAN BLANCARD. Lexic. med. cur. M. G. AGNETHLER Halae 1748.

JOURDAIN traité des maladies et des opérations réellement chirurgicales de la bouche. Paris 1778. Tom. II. cap. V. 2.

Der Wasserkrebs der Kinder von Dr. ADOLF LEOPOLD RICHTER. Berlin 1828.

Der Wasserkrebs. Monographie von Dr. WIEGAND. Erlangen 1830.

Dr. C. C. HUETER *Bemerkungen und Beobachtungen über den Wasserkrebs (im Journal für Chir. und Augenheilk. von GRAEFE und WALTHER. Bd. XIII. Heft 1. S. 26—95. Berlin 1829).*

V. GRAEFE *Angiectasie, ein Beitrag zur Kur und Erkenntniß der Gefäßausdehnungen. Leipzig 1803.*

speranda videtur. Vulgaris hujus extirpationis ratio haec est. Solemus cancrum, qui multo saepius labium inferius, quam superius occupat, per duas incisiones, ad formam literae V vel \smile factas, cultri acutissimi⁷⁾ ope remove, vulnusque inde obortum per suturam circumvolutam reunire. De fausto hujus operationis eventu, excepto morbi recidivi periculo, plerumque non dubitandum est, si modo malum angustioribus terminis adhuc contineatur. Verum ubi latius tantoque ambitu proserpsit, ut totius labii substantia ab eo afficeretur, post extirpationem restauratione organica semper opus est. Quod quomodo de cancro, ita etiam de multis aliis labiorum vel ulceribus vel tumoribus valet, qui per alia remedia nequaquam sanari possunt. Atque laud scio, annon multi, qui ejusmodi mala in curationem suam receperint, medici, supervacaneo plurium remedium usu justo longius tempus contere soleant, priusquam ad extirpationem accedant. — Praeterea in leviori quoque labiorum aliquo defectu chiloplastice requiri potest, si nimirum propter parcam cutis ductilitatem simplex reunio institui nequeat. Alterum genus defectuum ab ipsa uatura gignitur per processum aliquem morbosum, quem verbi causa ulcera carcinomatosa, syphilitica, herpetica subire solent. Sub hac rerum conditione interdum margines tantum circumcidi debent, quamquam certa hujus rei lex proponi non poterit. Dein vero pro mali indole et extensione aut chiloplastice aut mera reunio indicata est, uti supra demonstravimus.

Alius plerumque naturae illae affectiones morbosae sunt, quae stomatopoesin exposcunt, et maximum ae-

7) RICHERAND (Histoire des progrès récents de la Chirurgie p. 218.) forficis usum maximam partem praeferendum esse demonstrat.

grotis periculum eo afferunt, quod naturalem oris functionem, quae ad vitam sustinendam maxime necessaria est, aut impediunt aut plane tollant. Etsi multae ejusmodi oris deformitates⁸⁾ exstent vel congenitae vel acquisitae, nulla tamen tam saepe occurrit atque auxilium chirurgicum efflagitat, quam illa coarctatio oris, quam praeunte viro Illustri ab AMMON stomatostenosin dico, utpote quae ab aliis minus recte atresia oris vocatur. Hoc ipsum malum ante DIEFFENBACH⁹⁾, a quo in tres species divisum est, nemo accurate descripsit, quod eo magis mirandum est, quo frequentius ex nimio et inepto mercurii usu nascitur¹⁰⁾. Haec oris coarctatio saepe tantum gradum assequitur, ut vix ac ne vix quidem digitus minimus per ejus aperturam intromitti possit. Praeterea vitium aliquod primae conformationis rarissimum commemorari potest, in quo apertura oris plane desideratur.

8) Vide: REILS *Archiv für die Physiologie*, Bd. IV. S. 215. Dr. FRIEDR. LUDW. FLEISCHMANN'S *Bildungshemmungen der Menschen und Thiere, mit zwei Kupfertafeln*. Nürnberg 1833. S. 554, IV.

9) DIEFFENBACH'S *Chirurgische Erfahrungen über die Wiederherstellung zerstörter Theile etc.* 3. Abth. §. 76: „Man kann drei Arten von Verwachsung des Mundes unterscheiden:

1) Verschlussung des Mundes durch Verwachsung der innern Oberfläche der Wangen und der Lippen mit den Kiefern. Die äussersten Lippen sind dabei unversehrt.

2) Verwachsung des Mundes und Verwandlung der Mundspalte in ein kleines rundes Loch.

3) Zerstörung der äussern Lippen mit bedeutendem Substanzverlust in weitem Umkreise, so dass die Zähne unbedeckt da liegen, und die Kiefer nicht von einander entfernt werden können.

Alle diese verschiedenen Arten von Verwachsungen sind fast immer desselben Ursprungs. Uebertriebene, schlecht geleitete Mercurialkuren geben am häufigsten Veranlassung dazu.“

10) Mirandum est, neque de oris synechiis internis, neque de reliquis stomatostenosibus aliquid inveniri in libello recentissime edito: *Die Mercurialkrankheit in allen ihren Formen dargestellt* von G. LUDWIG DIETERICH. Leipzig 1837. bei Wigand.

C A P. III.

H i s t o r i a .

Quemadmodum universae artis medicae incunabula obscuritate antiquissimorum temporum obvelata jacent, ita etiam illud tempus, quo prima chiloplastices rudimenta apparuerint e paucis illis, quae de ea ad nostram aetatem venerunt historiae fontibus prius augurari, quam certo pronuntiare valemus. Hoc tantummodo videtur esse absque dubio, ante labiorum hanc restorationem organicam jam alias hujus generis operationes exstitisse. Quapropter neminem futurum esse existimo, qui mihi chiloplastices historiam scribenti vitio vertendum censeat, si eam ab ipsis universae chirurgiae curtorum primordiis exordiar, a quibus tanquam a matre omnes sequentis aevi operationes plasticae natae sunt. Itaque incassum etiam desudarent, qui ultimis saeculis adjudicare vellent chiloplastices inventionem, quae nisi una cum rhinoplastice, tamen paullo post eadem quidem patria probabiliter est nata. Neque mirandum esse existimo, quod tam subtilis et artificiosa chirurgiae pars antiquissimis jamjam temporibus exulta sit. Nam quoad omnis aevi memoriam repetere possumus, hac animi intentione homines semper fuisse animadvertimus, ut quemadmodum corpus omne ita faciem inprimis atque habitus externi venustatem curae cordique haberent. Hoc igitur stimulo haud dubie commoti sunt, qui artem chiloplasticam invenerunt primumque excoluerunt. Cujus sententiae veritatem sequentia accuratius demonstrabunt.

Placuit autem totam hancce historiam in quinque dividere periodos, annorum quidem numero magnopere

inter se dispares, caeteroquin autem multis notis ad ipsam chiloplasticen spectantibus satis, uti puto, distinctas.

P E R I O D U S I.

(x. — a. 450. a. Ch. n.)

In tota chirurgiae plasticae historia haec periodus gravissimi est momenti, quamvis certum ejus initium vix accurate designari possit. Namque multis literarum documentis innotuit, apud antiquos Indos et alias gentes ad meridiem viventes nonnullas in usu fuisse operationes plasticas, in quibus narium atque labiorum restauratio organica memoratu est dignissima. Notissimum enim est, sacerdotum Indorum ordinem non solum res sacras cultumque deorum, verum etiam medicinam et chirurgiam illo tempore exercuisse. Ipsi in clandestino templorum recessu artem nares et labia deperdita restituendi egregie novisse dicuntur ¹¹⁾. Frequentissimam harum operationum occasionem in eo habuerunt, quod apud Indos lege constitutum fuit, ut hominibus maleficis criminumque reis nares et labia praeciderentur. Ad felicem hujus rei successum multum etiam coeli temperies contribuit. Dolendum tamen est, nos de ipsa, quam sacerdotes illi in perficienda hac arte secuti sunt, agendi ratione ex nulla traditione historica accuratiorem cognitionem haurire posse. Nam innotuit nostra aetate hoc unicum, nimirum narium jacturam per propaginem cutaneam ex fronte desumptam fuisse restitutam. Quod vero de transplantatione partis alicujus cutaneae e na-

11) Vide librum a CARPUE editum, cujus titulum in bibliographia invenies. Cf. GRAEFE de rhinoplastice sive arte curtum nasum ad vivum restituendi, comm. ab HECKERO latine edita.

tibus vel proprii vel alieni corporis depromptae ¹²⁾, nec non de fructuosa narium prorsus disjunctarum reunione narratur, id prius dubitari quam credi oportet. Quapropter nobis hoc tantum persuasum esto, veram et rhinoplastices et chiloplastices originem in India esse quaerendam.

HIPPOCRATES COUS ¹³⁾ (456—366) de refectione partium curtarum aut nullam aut saltem exiguam habuisse videtur cognitionem. Ex scriptis ejus nostram aetatem ferentibus pauca solummodo verba, quorum in explicandis narium vulneribus mentionem fecit, huc possunt referri. Dicit enim vulnere nasalium reunionem nequaquam esse sperandam, quoniam partes cartilagineae agglutinationis essent expertes.

P E R I O D U S II.

(20 p. Ch.—1300 p. Ch.)

Paullo accuratius de hac re scripsit AULUS CORNELIUS CELSUS ¹⁴⁾, qui primus normam et rationem aliquam proposuit, quibus partes curtae resarciri possint. Attamen hic quoque rem generatim et tanquam in transitu pertractat, ita ut quomodo singulae quaedam partes, uti nares, labia, aures et sic porro reficiendae sint, speciatim non exponat.

12) Lectu dignissima habet BLANDIN l. 1. pag. 13—15.

13) Etsi parco jure ejus verba hic commemorari possint, tamen nolui iis locum invidere.

14) CELSUS de medic. lib. VII. cap. IX: „Ratio curationis ejusmodi est: id quod curtatum est, in quadratum redigere; ab interioribus ejus angulis lineas transversas incidere, quae ceteriorem partem ab ulteriore ex toto diducant; deinde ea, quae sic resolvimus, in unum adducere.“

Quod ex GALENI¹⁵⁾ (151—193 p. Ch.) scriptis huc referri poterit, id tantummodo curationem labii leporini et colobomatis spectat. Simile quid invenimus apud PAULUM AEGINETAM¹⁶⁾, qui aurium ac labiorum detruncationes ita curari vult, ut excoriatis vulnerum marginibus eorum contractio atque reunio per suturam suscipiatur.

ALBUCASIS eo loco, ubi exponit de sutura nasi, labii et auris, quando eorum solvatur continuitas vel a vulnere vel sine vulnere haec docet: „scias quod, quando acciderit solutio continuitatis in una ex his cartilaginibus, in illis curatio nisi in paucis hominibus. Quando igitur acciderit alicui res huiusmodi, aspice, et si sit vulnus recens, labia vulneris adducas.“ Exinde vero eliquet, eum hac in re ne aliquantulum quidem praestitisse CELSO. Exeunte saeculo tricesimo vixerunt LAFRANCHI¹⁷⁾ Mediolanensis, THEODORUS DE CERVIA¹⁸⁾ et GUY DE CHAULIAC, qui similia contenderunt et in eo omnes consentiunt, quod nares vel labia plane sejuncta nullo pacto restitui posse credunt.

P E R I O D U S III.

(1450—1550.)

Medio saeculo decimo quinto vixit chirurgus quidam Siculus, a nomine BRANCA, qui arte restaurandorum labiorum, aurium et narium excelluisse dicitur. Cujus rei veritatem testatur ELYSIUS CALENTIUS, poëta Neapolitanus illius temporis celeberrimus, in epistola quadam

15) GAL. meth. med. 16. 18.

16) PAUL. AEGIN. 6. cap. 26.

17) LAFRANCHI Chirurg. magna tract. II. cap. II.

18) THEOD. CERV. Chir. lib. II. cap. X.

ad ORPIANUM scripta, quae commemoratu dignissima est. Dicit enim: „ORPIANE, si tibi nasum restitui vis, ad me veni; profecto res apud homines mira. BRANCA Siculus, ingenio vir egregio, didicit nares inserere, quas vel de brachio reficit, vel de servis mutuatas impingit. Hoc ubi vidi, decrevi ad te scribere, nihil existimans carius esse posse.“ Quae si vera sunt, BRANCA primus dicendus est, qui inter chirurgos Europaeos hanc artem exercebat. Num vero simul inventionis etiam gloria ei tribuenda sit, adhuc sub iudice lis est. CARPUE, GRAEFE aliique recentioris aetatis permulti hanc rhinoplasticeam ab oriente egressam atque per Arabes, quibuscum Hispani et Itali literarum vinculo conjuncti fuerunt, ad Siciliam translatae fuisse existimant. Meam si liceat hac de re profiteri sententiam, non possum non mihi persuadere, illum ipsum BRANCAM suae artis inventorem fuisse, id quod nisi ex multis aliis rebus, vel ex eo poterit demonstrari, quod in restaurandis naribus propagationem non ex fronte, uti methodus Indica expostulat, sed ex brachio depromere solebat.

BRANCAM secuti sunt haud pauci, qui de reficiendis partibus deperditis scriberent. ANDREAS VESALIUS ¹⁹⁾

19) ANDR. VESAL. Chirurg. magn. lib. III., cap. IX.: „tunc temporis ante scarificationem, brachium, quod magis aegroto sit commodum accipimus, et cubitum in anteriorem partem musculum superficiale flectentem, prope tendonem, hoc est circa locum copulationis ejusdem tendonis manibus diligenter exquirimus. Eo autem invento ab utroque latere violenter ita vulneramus, ut reliqui vicini muscoli minime malum perpatiantur: atque eadem vulnera scalpello profunda efficimus, curamusque ne vel dolor, vel inflammatio superveniat, et interim pedetentim quotidie magis perforamus, donec linteum ab utraque parte facile aditum habeat, ac si dicas te velle musculum elevare, in ea parte, in qua magis carnosus ac corpulentus existit, et ab aliis subjectis partibus to-

miro quodam naturae adminiculo fieri posse refert, ut nares deperditae planeque abscissae e brachio restarentur, atque methodum accurate exponit, qua id efficiatur.

Eandem fere operandi rationem enarrat ALEXANDER BENEDICTUS ²⁰⁾ Veronensis, qui medio circiter saeculo decimo sexto vixit. Hic simul mentionem facit familiae cujusdam Calabrensis, nomine VIONEO vel BOJANO, quae artem illam plasticam a familia BRANCA didicisse dicitur. Sub idem fere tempus exstitit AMBROSIVS PARAEVS ²¹⁾, homo insignis, qui de refectione partium curtarum similem habet sententiam. Eodem jure STEPHANVS GOURMELIVS et JOHANNES SCHENKIVS hoc loco commemorari debent.

P E R I O D U S IV.

(1550—1814.)

Sub finem saeculi decimi sexti vixit CASPAR TAGLIACOSZI sive TALIACOTIVS philosophus et medicus praeclarissimus Bononiensis, qui non solum insigni suo ingenio, verum etiam eo, quod de universa chirurgia pla-

tum sejungere. Hoc facto ab altera superiori parte paulatim adhuc segregamus, donec undequaque dermis et epidermis contracta sit, quod medicamentorum ope commode satis perfici potest. Interim locum, in quo antea nasus erat, diligenter scarificamus, donec sanguis maximus effluat, postea faciem ita cum musculo jam affecto conjungimus, ut ne moveri quidem vel caput aut brachium quadraginta dierum spatio possit. Secamus nos tunc superiorem musculi partem carnosam, quam diximus, et undequaque cum parte jam scarificata suimus et cum sequenti medicamento utramque partem tamdiu semel in die curamus, ut coalescant, coeant, ac unam sortiantur substantiam, nasi locus, cum brachii musculo“.

20) ALEXD. BENEDICTVS de re medica lib. IV. cap. XXXIX.

21) AMBR. PARAEVS. 22.

stica egregie meruit, immortalitati nomen suum consecravit. Primus enim dicendus est, qui transplantatione cutis brachialis ad restituendos narium, labiorum et aurium defectus uteretur, simulque processus naturae physiologicos in sanandis partibus insiticiis ingeniose exponeret literisque mandaret. Quamnam vero in illis operationibus secutus sit methodum in libris, quos de curtorum chirurgia scripsit, accuratissime invenimus enarratam. Sic verbi causa inter alia illud gravissimi momenti est, quod lib. II. pag. 67. de labiorum restauratione praecipit: „Interim chirurgos admonitos esse volumus, nequaquam has postremas operationes rite tractari posse, nisi quae prius (sc. de narium restauratione) dicta sunt, curiosissime quis excusserit, atque adeo in naribus ipsis reficiendis suam operam aliqua ex parte probaret. Multo enim propior est operationi narium, quam quae in auribus fit, labiorum chirurgia, quae eandem materiam, eademque de sede depromptam cum naribus exposcit.“ Nihilominus tamen TALIACOTIUS in odium suorum aequalium incurrisse videtur, qui magnitudinem et gloriam ejus, quam assequi ipsi non possent, per invidiam allatrarent. Unus tantummodo commemoratur, qui TALIACOTIUM magnopere veneratus esse dicitur, R. L. RENEAULME de la GARONNE.

Attamen post fata TALIACOTII in longum tempus haec chirurgiae pars nisi plane oblivioni tradita, tamen ita in contemptum adducta est, ut sequentes scriptores vix mentionem ejus facerent. Sic praecedente demum saeculo ars chiloplastica a nonnullis chirurgis iterum ad lucem protrahebatur.

P E R I O D U S V.

(1814—1837.)

Jam nova illuxit universae chirurgiae plasticae aera, quae etiamsi brevem hucusque annorum seriem amplectatur, tamen tot ac tantis in sublimiori hac chirurgiae parte progressibus insignis est, ut splendidissimum humani ingenii documentum exhibeat. Postquam enim BALFOUR²²⁾ chirurgorum animos ad artis longe contemtae cultum de novo praeparasset, duumviri celeberrimi CARPUE et GRAEFE in eo maximopere laborarunt, ut laetius in dies reviresceret. Ille methodum Indicam non solum accuratius descripsit, verum comprobavit etiam fructuosissimos ejus effectus experimentis propria manu factis, hic methodum Italicam modificatam ipse adhibuit, atque nomen methodi Germanicae exinde constituit.

Signis sic sublatis, viri clarissimi tum exteri tum nostrates, in quibus COOPER, EARLE, DELPECH, RICHERAND, GRAEFE, DZONDI praesertim numerari debent, in excolendam atque amplificandam hanc artem plasticam unanimi studio incubuerunt. Ita factum est, ut intra breve temporis spatium non solum rhinoplastice multo perfectior redderetur, verum labiorum etiam restauratio, quae antea magnopere negligebatur, tantopere emendaretur, ut quaecunque fuerint veterum in hac ipsa re conamina, ea hodie certissime superentur. ROUX, LALLEMAND, LISFRANC, VELPEAU aliique inprimis chilo plasticae operam navarunt. WERNECK et DIEFFENBACH²³⁾ paulo post pecu-

22) W. BALFOUR Observations on adhesion etc; vide d. h. l. bibliographiam.

23) Gloria hujus inventionis plerumque unice DIEFFENBACHIO tribuitur. Sed jam anno 1817 WERNECK chirurgus Salzburgensis ad

liarem ejus methodum exercuerunt, quam in tollendo stomatostenosi faustissimo cum eventu adhibuerunt, et sic de stomatopoesi, quae jam a RUDTORFFER et KRUEGER-HANSEN erate xculpta, egregie meruerunt. Inprimis autem Celeberrimus DIEFFENBACH uti in universa chirurgia plastica, ita etiam in chiloplastica vel exercenda vel emendanda tantopere excellit, ut inter hodiernos chirurgos hujus artis principatum obtinere videatur. Haud minus meruit etiam Illustris ab AMMON, qui recentissimo tempore novam chiloplastices methodum invenit, ejusque utilitatem fructuosissimam duabus observationibus, quas infra exponam, egregie demonstravit. Magnum caeteroquin in hac historia nomen et gloriam sibi comparasse ROUX DE ST. MAXIMIN, MALGAIGNE, DUPUY-TREN, DAVIES, BLANDIN, TEXTOR, CHELIUS, a WALTHER ephemerides et annales medico-chirurgici satis superque testantur. Haec pauca sufficiant ad historicam chiloplastices delineationem, ex qua hoc saltem certissime elucet, hanc artem jam veteribus notam per longam annorum seriem fuisse neglectam, donec ab oblivione iterum vindicata recentissimo tempore laetius in dies efflorescere inciperet.

C A P. IV.

Bibliographia.

Continet brevis hic catalogus praeter varios libros, speciatim de chiloplastice conscriptos, ex illis etiam me-

tollendam oris angustiam angulos inciderat atque mucosam transplantaverat. Publicavit hanc methodum a Dieffenbachiana non multum diversam demum anno 1850. [v. Gr. u. v. *W. Journal für Chir. und Augenh. Bd. XIV. Heft 2. pag. 202.*]

moratu dignissimos, qui vel in universum et antiquiorem et recentiore chirurgiam plasticam tractant, atque in elaborando hoc opusculo maximam partem ad manus mihi fuerunt, vel etiam de rhinoplastice agunt, quacum aretissimo vinculo conjuncta est labiorum restaurandorum ars et scientia.

Addita praeterea sunt, quae in variis annalibus medico-chirurgicis, quatenus eorum mihi aditus patebat, de nostra re inveni.

Corn. Celsus de medic. lib. VII. cap. IX.

Claud. Galenus meth. med. 16. 13.

Paulus Aegineta 6. cap. 26.

Albucasis chirurg. lib. I. 5. 13.

Ambr. Paraeus (XXII.)

Lafranchi chirurg. magna (tract. II. cap. II.).

Theodor. Cervia chir. (lib. II. cap. X.).

Andr. Vesalius Chir. magn. (lib. III. cap. IX.).

Alex. Benedictus de re medica (lib. IV. cap. XXXIX.).

Gasparis Taliacotii Bononiensis de curtorum chirurgia per insitionem libri duo. Venet. in fol. 1597. (lib. II. pag. 67. de labiorum restauratione).

Salzmann Dissertatio de chirurgia curtorum. Argentorat. 1712.

Rosenstein, de chirurgiae curtorum possibilitate. Upsala 1742.

W. Balfour observations on adhesion, with two cases, demonstrative of the powers of the nature to reunite parts, which have by accident totally been separated from the animal system. Edinburgh 1814.

J. Baronio, über die animalische Plastik. A. d. Ital. von *A. F. Bloch*.

J. C. Carpue. An account of two successful operations

for restoring a lost nose from the integuments of the forehead, in the cases of two officers of his Majesty's army, to which are prefaced historical and physiological remarks on the nasal operation, including descriptions of the indian and italian methods. London 1816. A. d. Engl. übers. von *H. S. Michaelis*, nebst Vorrede von *C. F. v. Graefe*. Berlin 1817, in 4. m. Kpf.

C. F. v. Graefe, neue Beiträge zur Kunst, Theile des Angesichts organisch zu ersetzen. (Im Journal für Chir. u. Augenheilk. Bd. II. Hft. 1. S. 496).

Wilhelm Hoffacker, Beobachtungen über die Anheilung abgehauener Stücke der Nase und Lippen, in den Heidelberger Klin. Annalen. Bd. IV. Hft. II. S. 252 — 248.

Dr. Werneck, über die künstliche Mundwinkel- und Lippenbildung durch blutige Umschlagung der Mundhaut (in *v. Graefe's* und *v. Walther's* Journ. für Chir. u. Augenh. Bd. XIV. Hft. II. p. 202).

Rudtorffer, Abhandlung über die einfachste u. sicherste Methode eingesperrte Schenkel- und Leistenbrüche u. s. w. B. II. S. 478.

Dr. J. F. Dieffenbach, chirurgische Erfahrungen über die Wiederherstellung zerstörter Theile des menschlichen Körpers nach neueren Methoden. Berlin 1829. in 8. (1. Bdch. S. 40: Ueber die Bildung der Lippen bei Verschluss des Mundes durch Ueberpflanzung der Schleimhaut).

Langenbeck, Nosologie u. Therapie der chirurg. Krankheiten in Verbindung mit der Beschreibung chirurg. Operationen. Göttingen 1825.

Zang's Operationen, 2. Theil. Wien 1824.

Richerand, Histoire des Progrès récents de la Chirurgie.
Paris 1825.

Delpech, Prof., Chirurgie clinique de Montpellier.
Paris 1828 (Tome second).

Revue médic. française. Janvier. 1828 (narrantur quatuor observationes, quas fecit *Roux*.)

J. F. Malgaigne, Manuel de médecine opératoire fondée sur l'anatomie normale et l'anatomie pathologique.
Paris 1854.

Velpeau, nouveaux éléments de Médecine opératoire.
Paris 1852.

R. B. Sabatier, de la Médecine opératoire.

Ph. Fréd. Blandin, clinique chirurgicale par *Dupuytren*,
Tome I. Autoplastie ou restauration des parties du corps qui ont été détruites à la faveur d'un emprunt fait à d'autres parties, plus ou moins éloignées.
Paris 1856.

Dr. F. A. v. Ammon, über Morioplastik in *Rust's* Magazin. Bd. XXX.

— — — — über Chiloplastik in der Medicin-chirurg.
Encyclopaedie v. *Busch*, *Graefse*, *Hufeland*. Bd. VII.

Rust's Handbuch der Chirurgie. Bd. IV.

Blasius, Handbuch der Akiurgie, 2. Bd. Halle 1831.

Dr. Textor, Grundzüge zur Lehre der chirurgischen Operationen, welche mit bewaffneter Hand unternommen werden. Würzburg.

— — über Chiloplastik (*Isis* von *Oken*. Bd. XXI. Hft. V. u. VI. S. 496).

Chelius, über Fälle von Nasen- und Lippenbildung in den Heidelb. Klin. Annalen. Bd. VI. p. 525—52.
1850 in 8. (Hierzu zwei Abbildungen.)

- Blasius*, Klinische Zeitschrift für Chirurgie und Augenheilkunde. Bd. I. Heft 3.
- v. Graefe's* und *v. Walther's* Journal für Chirurgie und Augenheilkunde. Bd. VI. pag. 573. Bd. XII. pag. 428.
- Schmidt's* Jahrbücher. Bd. II. pag. 120. Bd. IX. pag. 204. Bd. XI. pag. 58.
- Didericus Hugo van Es*, Dissertatio chirurgica de Chilo-
loplastica observatione illustrata. Trajecti ad Rhenum
apud C. van der Post juniorem. MDCCCXXXVI.
- Guilelmus Rost*, Dissertatio de Chilo- et Stomatopla-
stice. Berolini MDCCCXXXVI.
- Otto Peters*, Dissertatio de blepharoplastice. Lips. 1856.
- Dr. Ed. Zeis*, Handbuch der plastischen Chirurgie ²⁴⁾.
Berlin bei *Reimer* 1858, in 8. (Mit vielen Ab-
bildungen.)

24) Hic liber in catalogo librorum, qui proxime apparebunt, an-
nuntiatus est.

PARS II.

DE VARIIS CHILOPLASTICES ET STOMATO- POESEOS METHODIS PRAEMISSO BREVI EARUM CONSPECTU.

CAP. I.

Id mihi cum maxime agenti, ut idoneam chiloplastices divisionem nunc proponam, qua singulis ejus methodis simul assignari possit certus locus, nihil aptius videtur, quam ut ab ipsis primariis hujus artis momentis dividendi rationem depromam. Etenim ut in omni transplantatione, ita in chiloplastice etiam duo inprimis, in quibus cardo rei versatur, considerata sunt, nimirum *excisio* et *insitio* propaginis cutaneae. Quapropter haud ineptum esse puto, omnem chiloplasticam secundum ejus loci diversitatem, quo tradux cutaneus vel exciditur vel inseritur, duplici respectu contemplari:

CHILOPLASTICA.

I.

Respectu loci excisionis.

- A.* Excisio traducis e parte vicina (Methodus Indica ejusque modificationes).
- B.* Excisio traducis e parte remotiori,
 - a.* e brachio,
 - α . Methodus Italica,
 - β . Methodus Germanica,
 - b.* e natibus (Methodus Indica altera?),
 - c.* e crure.
(Bünger?)

II.

Respectu loci insitionis.

- A.* In regione angulorum oris
(Chiloplastica angularis).
- B.* In labio superiore
(Chiloplastica superior).
- C.* In labio inferiore
(Chiloplastica inferior).

De Stomatopoesi autem haec fere praemittenda sunt.
Etenim peragitur

S T O M A T O P O E S I S.

I.

II.

Per dilatationem et incisionem angulorum oris.

Per disjunctionem synechiarum oris interni.

a) dilatatio oris successiva
[per interposita corpora
varii generis].

a) partialis — totalis

b) dilatatio cruenta [per simplicem incisionem].

b) anterior — posterior.

c) perforatio genae cum dilatatione cruenta secundaria (Methodus a RUDTORFFER proposita).

d) Methodus WERNECKIANA.

e) Methodus DIEFFENBACHIANA.

CAP. II.

Chiloplastices methodi.

Ab antiquissimis inde temporibus ad hodiernum usque diem magnis tamen saeculorum intervallis tres obortae sunt methodi principales, per quas labia plus vel minus deperdita restaurari possunt. Vocantur autem: metho-

Indica, Italica, Germanica. Uni vel alteri earum omnes reliquae agendi rationes tanquam methodi, ut ita dicam, modificatae annumerari debent.

A. Methodus Indica.

Proprium et peculiare hujus methodi signum, quo a reliquis discrepat, in eo positum est, quod tradux cutaneus ad transplantationem necessarius e vicino loco, i. e. vel e genis, vel e collo excidatur. Ipsa autem hujus methodi ratio haec est. Delineatur primum particula cutanea aut colli aut genae, quae accuratissime et magnitudini et formae partis labii deperditae respondeat. Quod si factum est, cultello acutissimo pars cutis delineatione circumscripta a musculis subjacentibus separatur usque ad parvum segmentum, quod ponticuli ad instar partem excisam cum reliqua cute genae vel colli conjunctam teneat. Nunc propago illa cutanea, circumcisis antea, si labii defectus inveteratus sit, ejus marginibus, ita in locum deperditum inseritur, ut quam accuratissime ei congruat. Ad vulneris marginum justam reunionem suturae apponuntur, quamquam antiquissimis temporibus in hunc finem simplex ligatio in usu fuisse videtur. Alterum vulnus, quod per excisam cutem vel in gena vel in collo obortum est, ita curatur, ut attractis leniter ejus marginibus, reliquum naturae ipsi committatur. Quibus factis plerumque paucos intra dies perfecta reunio locum habet, ita ut propago insiticia firmissimo nexu cum partibus adjacentibus cohaereat, atque sic labii integritatem de novo conservet. Quam ob rem ponticulus ille, qui ad nutritionem et vitalitatem traducis non amplius necessarius est, sub hoc tempus persecatur.

Haec fere sunt summa chiloplastices Indicae principia, quibus id tantummodo adjungi poterit, quod bene factum esse dicatur, si partis restaurandae forma, quatenus hoc fieri possit, ovalis aut saltem regularis reddatur, quoniam sub hac ejus conditione reunio facilius procedere soleat.

Quamvis haec chiloplastica vetustissimae originis sit, tamen ita comparata est, ut nostris quoque temporibus haud pauci ea cum fructu uterentur. Etenim quod plerumque huic methodo opprobrio vertatur, ab unius deformitatis sanatione aliam faciei turpitudinem provocare ad nihilum recederit, si reputemus, cicatrizationem vulneris alicujus artificialis faciei gratiam non multum perturbare posse. Inter eos, qui recentissime chiloplasticam Indicam exercuerunt, DAVIES, DELPECH, LALLEMAND, TEXTOR imprimis commemorandi sunt, quod quonam effectu factum sit, infra videbimus.

Sed ne rem maxime notabilem praetermisisse videar, paucis liceat hoc loco monere, quod traditum est, existisse olim aliam¹⁾ quoque methodum Indicam, secundum quam cutis ad restituendum labium necessaria e natis excideretur. Quod vero quantopere dubitandum sit, imprimis GRAEFIUS ostendit. Recentiori tempore BUENGERO semel contigisse dicitur, ut ad transplantationem particula cutis e crure totaliter excisa prosperrimo cum successu uteretur. Sed haec res, quantumvis gravissima, nondum valet ad comprobendam putativae illius Indorum methodi veritatem.

1) Vide: LANGENBECK l. l. IV. 2. pag. 206. HUFELAND's Journal V. 1817. pag. 116. BLANDIN l. l. pag. 11—14.

B. *Methodus Italica.*

Certum est et omnium recentiorum medicorum consensu receptum, exeunte saeculo decimo sexto TALIA-COTIUM, virum ingeniosum, hujus methodi exstitisse inventorem. Nam illorum, qui ante TALIA-COTIUM labia e brachio restituuisse dicuntur, agendi ratio nisi toto coelo diversa²⁾, tamen maxime inculta, rudis et nullis certioribus legibus fulcita erat. Soli TALIA-COTIO igitur gloria tribuenda est, quod primus de naribus, labiis aliisque hujus generis partibus deperditis e brachii cute restituendis accuratissimam scripsit monographiam, nec non signa physiologica et pathologica, quae hanc operationem tum antecedere tum sequi solent, discrete exposuit. Principales autem hujus methodi normae hae sunt. Incepit cum *propaginis delineatione*³⁾, in quam, veluti in fundamenta rite jacta omnem operis fabricam unice inniti putavit. Quapropter cutim in antica brachii regione, a qua propaginem mutuari solebat, primum leviter a partibus subjacentibus sustulit, et partem ejus ad reficiendum locum deperditum satis magnam aut atramento designavit, aut oculis saltem accuratissime circumspexit. Quo facto sectionem⁴⁾ sic instituit: Dum minister aliquis cutim forcipis ope sustinuit, ipse cultellum intra lineam forcipis adegit, et moderata quadam violentia, et facto

2) (Vide: TALIA-COT. *chirurgia eurtorum* lib. I. cap. XIX pag. 31. ubi haec dicit: „qua de causa vehementer miror, quid hisce viris aliquin doctis et eruditis in mentem venerit, ut ex carne musculo-sa nares resarciri posse crediderint. Quomodo enim haec pars sine vitae periculo contrectari, quo pacto incidi, qua ratione a membranis divelli poterit?“ Cum his cf: lib. II. cap. XIX pag. 67. sub initio.

3) TALIA-COT. lib. II, cap. IV.

4) Vide: *ibid.* pag. 12.

sectionis initio, ubi fere centrum erat ejusdem lineae, inde cultrum in assidentia latere propulit, non tamen praecipitanter, sed sensim usque in forcipis angulos. Sectione sic peracta per spatia cutis hiantis linteolum immisit atque brachio summam quietem concessit. Post delineationem sequebatur propaginis eductio. Neque enim traducem una vice depromsit, sed interjecto nonnullorum dierum intervallo, in quo non solum diversa symptomata accessoria compescuit, verum inprimis illud tempus expectavit, quo cutis crassior et compactior reddita, et interior ejus pars in callum formata sit. Deinde propaginem blande sublatam recta linea ad angulos superiores, si labium superius, ad inferiores autem, si labium alterum restaurandum erat, aequali ductu persecavit, reclinavit atque fascia denique circumdedit. Ubi primum ad insitionem efficiendam tempus aptum⁵⁾ advenit, brachium versus faciem sustulit atque labio pro varietate deformitatis excoriato traducem in ejus lacunam ita inseruit, ut utriusque orae accuratissime sibi invicem responderent. Reunionem denique per acus incurvas aequis intervallis applicatas effecit. Sic idoneo fasciarum apparatu caeteroquin appposito, quibus et manus aegroti capiti alligebantur, et ipsa propago in quieto situ tenebatur, viginti quatuor diebus tantum opus erat ad firmum et perfectum traducis coalitum. His omnibus peractis, propago penitus a brachio rescindebatur⁶⁾, et peculiari curationi⁷⁾ de novo subiciebatur.

Hae itaque sunt gravissima hujus methodi principia. Quamquam nemo profecto non videt, eam multis

5) Vide: *ibid.* lib. II. cap. IV. pag. 12.

6) Vide: *ibid.* lib. II., cap. XIX. pag. 70.

7) Vide: *ibid.* cap. XV. pag. 33.

de causis magni aestimandam esse, caeterisque forsane etiam praestare, tamen non negandum est, eam aegrotis magnas molestias et dolores gignere, quamobrem hodiernis diebus ea vix alia de causa uteremur, quam si faciei collique cutis ad depromendum traducem cutaneum nullo modo idonea inveniretur.

C. Methodus Germanica.

Designari solet hac denominatione⁸⁾ illa methodus, quam GRAEFE secundo hujus saeculi decennio ad similitudinem methodi Italicae composuit. Quapropter accuratior ejus descriptione me supersedere posse existimo, utpote quae nonnisi antecedentium maxima ex parte esset reiteratio. Summa autem hujus methodi in eo consistit, quod propago cutanea e brachio rite excisa immediate cum excoriatis labii deperditi marginibus jungatur. Pons autem cutaneus non prius a brachio penitus rescinditur, nisi antea propaginis orae cum labii marginibus intime coaluerint, quod intra paucos dies plerumque evenit. Singulae, quibus praeterea opus est, encheireses simillimae sunt iis, quae in peragenda chiloplastica Italica valent, paucis exceptis, quae tum ad suturas tum ad deligationem pertineant.

Sic exhibita est trium illarum methodorum descriptio, quae hucusque ut in universa restauratione partium organica, ita in chiloplastica etiam principatum obtinent. Quapropter non mirandum est, quod chirurgi nostris quoque temporibus pro diversitate rerum indi-

8) Cf: *Medicinische Encyclopädie von BUSCH, GRAEFE, HUFELAND, Bd. VII. pag. 437 etc.*, ubi has methodos descripsit Illustris ab AMMON.

Vide etiam: BLANDIN l. l. pag. 60 etc.

cantium una vel altera ex his methodis in labiis restituendis utantur, quin imo saepe ex ipso ingenio eas immutent novasque inde constituent modificationes.

Quam ob rem operae pretium me facturum esse existimo, si praemissae harum methodorum expositioni brevem nunc operationum chiloplasticarum conspectum adjungam, quae recentiori aevo peractae sunt, atque ex variis scriptis et ephemeridibus medico-chirurgicis in notitiam meam venerunt. Priusquam autem ad hoc accedam, pauca de methodo sic dicta **FRANCOGALLICA** praemonere liceat, quae ab illa agendi ratione, qua jam **CELSUS** ⁹⁾ in reficiendis partibus curtis usus erat, tam parum discrepat, et praeterea eodem etiam tempore apud alios populos tantopere usitata fuit, ut revera mirandum ¹⁰⁾ sit, quod illa a Francogallis novam denominationem acceperit. Negari quidem non potest, hanc methodum ¹¹⁾, quae imprimis ad labium inferius spectat, a Francogallis, in quibus **CHOPART**, **ROUX**, **LISFRANC** prae caeteris nominari debent, immutatam atque emendatam esse. Ac primum quidem **CHOPART** eam sic per egit. Fecit nimirum duas incisiones parallelas inde ab oris angulis decurrentes, quibus quidquid morbosum erat, circumscripsit. Quo facto prolongavit has incisio-

9) **CELSUS** lib. VII. cap. IX. dicit: „ex vicino adducitur“ etc. Sic simplicissima methodus exorta est, quam **VELPEAU** l. I. pag. 51. methodum antiquam appellat. Cf: **CHELIUS** *Handbuch der Chirurgie*, Bd. 2. S. 479.

10) Idque eo magis, quam a Francogallis **GRAEFIO** opprobrio vertetur, quod suam methodum *Germanicam* diceret.

11) **BLANDIN** l. I. de ea dicit: „Ce procédé a pour traits caractéristiques la formation d'un lambeau, la dissection et son attraction sans rotation ni torsion aucune vers le lieu qu'il doit désormais occuper.“

nes usque ad os hyoideum. Deinde per sectionem transversalem partes morbosas a sanis removit, et reliquum panniculum a subjacentibus partibus sejunxit atque lente sursum traxit, donec ipsos oris angulos attingeret, ubi denique suturas imposuit¹²⁾.

Haud multum ab hac diversa est illa methodus, quam ROUX¹³⁾ exercuit. Hic nimirum per incisionem semilunarem eam labii inferioris partem, quae morbo affecta erat, excidit, atque tunc demum reliquum labium a subjacente maxilla separavit. Deinde capite aegroti in pectus inclinato margines vulneris per suturas conjunxit. Ubi vero canceri ambitus tantus fuit, ut oris angulos superaret, hos ipsos cultelli ope dilatavit, priusquam illam incisionem semilunarem institueret.

Quam porro ROUX de St. MAXIMIN sequi solebat, operandi ratio ea cum methodo CHORPARIANA maximam similitudinem habet. Accuratiorem ejus descriptionem invenimus apud BLANDIN¹⁴⁾.

Aliam viam ingressus est LISRFANC. Postquam enim labium inferius carcinomatosum per semilunarem incisionem, uti ROUX aliique consueverunt, plane re-

12) Vide de hac methodo CHOPARTIANA:

Nouveaux éléments de Médecine opératoire par VELPEAU. Tom. II. §. V.

J. F. MALGAIGNE l. I. cap. IV: des opérations, qui se pratiquent sur la bouche etc.

Dissert. chirurg. a DIDER. HUGO van Es, qui observationem canceri labii inferioris cheiloplastica CHOPARTIANA sublatis enarrat.

Handwörterbuch der Chir. und Augenh. von WALTHER, JAEGER und RADIUS. Bd. II. pag. 550.

13) Cf: VELPEAU l. I. pag. 52. — Rev. méd. 1828. Janv. pag. 30. v. GRAEFE'S u. v. WALTHER'S *Journ. d. Chir. u. Augenh.* Bd. XII. pag. 428.

14) l. I. pag. 452 etc. Loquitur hoc loco fusius de his methodis multasque observationes enarrat pag. 110, 114, 128, 149, 151.

moverat, alteram incisionem eamque verticalem e media priori usque ad regionem ossis hyoidei fecit. Nunc duos panniculos, qui inde circumscripti erant, a partibus subjacentibus rite sejunxit atque ad altitudinem labii desperditi eduxit, ibique suturis et fasciis ad praepediendum labii sic restituti descensum idoneis alligavit.

Denique commemorandum est, etiam MALGAIGNE¹⁵⁾ novam methodum annuntiasse, cujus ratio haec est: Dilatatis post exstirpationem cancri labii inferioris angulis oris, panniculos triangulares vel quadrangulares formavit et vulneris reunionem solito more perfecit.

Ex his omnibus autem satis apparet, quantum eos fefellerit opinio, qui ejusmodi in labiis reficiendis agendi rationes ad illam chiloplasticam referri velint, quae per veram insitionem alicujus traducis cutanei fieri solet. Quapropter hasce Francogallorum methodos rectissime pseudochiloplastices nomine designare poterimus.

Transeo autem ad notabiliores quasdam observationes ad veram sic dictam chiloplasticam certissime spectantes.

Descripsit GRAEFE¹⁶⁾ restaurationem labii organicam secundum methodum Italicam, quam ipse anno 1819 susceperat, cujus summa haec est: Fr. S. 21. annos natus per gangraenam metastaticam non solum labium superius verum genarum etiam partem in vicinia angulorum oris amiserat. Caeteroquin partes adjacentes praecedentis inflammationis causa mirum in modum incrassatae erant. Die XIII. m. Decembr. anni

15) Vide: J. F. MALGAIGNE l. l. Nouveau procédé.

16) Vide: v. GRAEFE'S u. v. WALTHER'S *Journ. der Chir. und Augenh.* Bd. II. Heft 1. S. 40—44. Hujus rei mentionem etiam fecerunt LANGENBECK l. l. IV. 2. Abschnitt. ab AMMON (*Med. Chirurg. Encyclopädie* v. BUSCH, GRAEFE u. s. w. Bd. VII. ubi de chiloplastice exponit.)

commemorati progago cutanea in brachio per duas incisiones semilunares formabatur, cui linteum compositum oleoque tinctum supponebatur. Die XX. ejusdem mensis non solum sic dicta corpulentia, verum etiam simul diminutio propaginis apparuit. Die VI. m. Jan. anni sequentis incisio transversalis in superiori tradueis parte fiebat. Quum vero die III. m. Febr. propaginis interior pars epidermide satis obducta esset, sequente die ipsa transplantatio secundum praecepta TALIACOTII accuratissime instituebatur, in qua peragenda tamen partium vincinarum durities fere cartilaginosa haud leve negotium imposuit. Die XI. m. Febr. reunio propaginis cum partibus curtis ita comparata fuit, ut illa penitus a brachio dissecari posset. Vix autem quatuor elapsi erant dies, cum tota pars transplantata per gangraenam absumpta esset. Causa hujus infelicis exitus haud dubie in eo quaerenda est, quod fundus ad recipiendum traducem magna sua sterilitate ineptus fuit.

Exstiterunt etiam, qui methodum Indicam in labiis restituendis sequerentur viri celeberrimi. Inter externos inprimis DAVIES¹⁷⁾, LALLEMAND¹⁸⁾, DELPECH¹⁹⁾, DUPUYTREN hujus rei gloriam obtinent, quamquam non semper felicissimus eventus eorum operam secutus fuerit.

17) Vide: v. GRAEFE'S u. v. WALTHER'S *Journ. für Chirurg. und Augenh.* Bd. VI. pag. 375: *Fall einer Chilo- u. Rhinoplastik nach indischer Ueberpflanzungsweise.*

18) HUGO van Es, *Diss. chir. de cheiloplastica.*

19) DELPECH l. l. T. II. pag. 387, ubi ipse suam operationem enarrat, quae in eo peculiaris fuit, quod labium inferius gangraena destructum per propaginem cutaneam e collo excisam et versus superiora revolutum restituebatur. Nono autem die post factam insitionem progago in gangraenam abierat; v. FROBIEP'S *Notizen.* Bd. 19. S. 33, IRIS VON OKEN Bd. XXI. Heft V. u. VI. S. 496.

TEXTOR²⁰⁾ autem anno 1827 chiloplasticam Indicam cum prosperrimo successu peregit. Historia hujus observationis haec est: Aegrotus 48 annos natus post extirpationem carcinomatis labii inferioris propter reunionem imperfectam haud exiguum substantiae defectum retinuerat, qui sinistrum oris angulum superavit. Ut ante omnia magnus hujus anguli hiatus imminueretur, instituebatur in labio superiori operatio labii leporini. In altero labio eadem operatio bis instituta maximam partem votis non respondit. Nihilominus celeberrimus **TEXTOR** chiloplasticam suscepit. Quum in hunc finem propaginem e regione submentali excisam in labrum inferius implantasset, reunionem per suturam capitatam exegit, nullisque praeterea fasciis et ligamentis usus est. Septimo die suturas removit. Post quatuor septimanas vulnus, quod propaginis excisione obortum erat, perfecta cicatrizatione gaudebat, atque pars insiticia pristinam labii lacunam egregie explevit.

Porro **CHELIUS**²¹⁾ restaurationem narium et labii in uno eodemque homine susceptam describit. Attamen quam in labio instituit, ea operatio nonnisi pro pseudochiloplastice haberi potest, quum parum ab operatione labii leporini discreparet.

Observationem notatu omnium dignissimam fecit **Experientissimus BERG**²²⁾. **M. RAYSCH** 24 annos natus corpore robusto non solum labium inferius verum

20) Enarrat hanc observationem **ILLUSTRIS** ab **ANNON** (*Med. chir. Encyclopädie u. s. w.*) l. l.

21) Vide: *Heidelberger Klin. Annalen. Bd. VI pag. 523—532.*

22) Vide: *Medicinische Zeitung, herausgegeben für Heilkunde in Preussen 1836. No. 49. Artikel von Dr. BERG in Schwerin a. d. Warthe.*

maximam etiam superioris labri partem amiserat. Per cicatrices genarum admodum callosas motus maxillae inferioris fere plane sublatus erat. Die IX. m. Septbr. anni 1854 labium inferius per partes menti molles, et has per cutim submentalem restauravit. Post quatuor septimanas Exp. BERG labium superius per transplantationem propaginis cutaneae e dextro brachio excisae in integrum restituit. Quum vero pars implantata brevi tempore usque ad magnitudinem fabae per gangraenam destructa esset, cutim juxta nares positam ad novam restaurationem adhibuit, quae tandem ita evenit, ut ineunte mense Decembris aegrotus novis labiis instructus nec non a pristinis molestiis liberatus dimitti posset.

ROSSI ²³⁾ Rivalensis duas peregit exstirpationes cancri labii inferioris secundum eam agendi rationem factas, quam RICHERAND sequi solebat. Praefert hanc methodum, si malum carcinomatosum minorem habeat ambitum.

Praeterea innotuit operatio pseudochiloplastica inferior, quam die XIII. m. Aug. a. 1854. Prof. RIBERI ²⁴⁾ in nosocomio, cui praeest, feliciter exercuisse dicitur.

Dr. CHARLES VIGUERIE ²⁵⁾ (chirurgien en chef de l'Hôtel Dieu à Toulouse) die XXVIII. m. Septbr. 1853 cancrum labii inferioris admodum diffusum per duas incisiones semilunares exstirpavit, et chiloplasticeo peregit, quod propaginem e cute colli excisam in locum deperditum optimo cum successu transplantavit.

23) Vide: Repert. med. chirurg. del Piemonte. Ottbr. 1854. Laudatus hic locus est in: SCHMIDT'S *Jahrbüchern* Bd. IX. pag. 204.

24) SCHMIDT'S *Jahrbücher* ibidem.

25) SCHMIDT'S *Jahrbücher* 1854. Bd. II. pag. 339.

Quaenam illa fuerit chiloplastica, quam THOMAS²⁶⁾ suscepit, exponere nequeo, quoniam nusquam eam accuratius descriptam invenerim.

Nuperrime Celeberrimus BLASIUS novam invenit methodum²⁷⁾, qua labium inferius propter carcinoma exstirpatum in homine aetate satis provecto feliciter restauravit. Descripsit eam hisce verbis: „Diese Gründe bestimmten mich, ein neues Verfahren der Lippenbildung in einem Falle zu versuchen, wo ich bei einem 56 Jahre alten Manne wegen eines grossen Lippenkrebses die ganze Unterlippe bis über die Mundwinkel hinaus und die weichen Theile des Kinns exstirpiren musste. Ich hatte zu letzterem Zwecke auf der rechten Seite den Schnitt etwas über dem Mundwinkel in der Oberlippe begonnen, um die Degeneration und in einem grossen Bogen bis $\frac{1}{2}$ Zoll unter das Kinn und etwa eben so viel jenseits der Mittellinie geführt, dann einen gleichen Schnitt auf der linken Seite gemacht, der jedoch weniger gebogen war und mit dem erstern unter dem Kinn und an der linken Seite desselben in einem Winkel zusammenstiess, darauf die umschnittenen degenerirten Theile vom Kiefer getrennt, wobei dieser an einem Paar Stellen ganz blos gelegt und an einer, wo er etwas missfarbig aussah, abgeschabt wurde. Die ansehnliche Blutung bei dieser Exstirpation und im fernern Verlaufe der Operation stillte ich, so weit sie aus spritzenden Arterien kam, durch Torsion dieser,

26) Journal des connaissances medico-chirurgicales. Troisième année. Juillet 1855 — Avril 1856.

27) BLASIUS *Klinische Zeitschrift für Chirurgie und Augenheilk.* Bd. I. Heft 3. pag. 387: *Neues Verfahren der Lippenbildung.* (Hierzu eine Abbildung.)

um in der Wunde keine Ligaturfäden zu haben, welche die schnelle Vereinigung beeinträchtigen würden. Nunmehr führte ich von dem rechtseitigen Wundrande, etwa $\frac{1}{2}$ Zoll über dem Kieferrande beginnend, eine neue Incision, die von jenem unter einem Rechtwinkel einen guten Daumen breit abwärts ging, dann in einem Bogen zum Kieferrande wieder aufstieg und längs diesem bis auf den Masseter verlief. Den so umschnittenen zungenförmigen Lappen aus der Wange löste ich vom Unterkiefer ab und verfuhr dann eben so auf der linken Seite, wo ich jedoch den Schnitt entfernter vom Kieferrande anfang, den Lappen also kürzer machte. Diese beiden Lappen wurden mit ihren schmalen Enden durch umwundene Nähte vereinigt und stellten die eigentliche Unterlippe dar; ihre Vereinigungslinie fiel links von der Mittellinie des Kiefers. Zur Ergänzung des nun noch vorhandenen Defectes wurden die beiden Ecken, welche die Weichgebilde jetzt zu den Seiten des Kinnes bildeten, abpräparirt, auch in der fernern Ausdehnung die untern Wundränder sowohl nach den Kieferwinkeln hin, als besonders unterm Kinn, wo ich von dem Mundwinkel aus einen Schnitt etwa 1 Zoll breit herabführte, gelöst und endlich jene Ecken so herauf- und gegeneinander gezogen, dass sie sich an der Vereinigungslinie der neuen Unterlippe berührten und der untere Rand der letzteren mit der heraufgezogenen Haut überall in Berührung kam. In dieser Lage wurden die Wundränder bei abwärts geneigtem Kopfe sorgfältig theils durch umwundene, theils durch Knopfnähte vereinigt.“

Restat, ut methodum illam breviter exponam, quam Celeberrimus DIEFFENBACH ad restaurandum labrum in-

ferius excogitavit. Magnam similitudinem cum ea methodo habet, quam in blepharoplastice²⁸⁾ ipse adhibuit. Operandi autem ratio haec est. Carcinomate per duas incisiones exciso, quae ab oris angulo incipiunt et in mento sub acuto angulo sese contingunt, lacuna triangularis formatur, quae literae V aequiparat. (Vide tab. II. fig. 1. lit. A. B. C.). Nunc ab utroque angulo oris incisio facienda est, quae horizontali directione versus genam transcurrit (vid. ejusd. tab. fig. 1. lit. AD. et CE.). Quo facto suadet DIEFFENBACH, ut ab utroque harum incisionum puncto extremo altera incisio paululum versus mentum flexa deorsum ducatur (fig. 1. lit. DF. et EG.) Hac ratione ad utrumque labii deperditi latus cutis pars satis magna circumciditur, quae a tela cellulosa et musculis subjacentibus diligenter separari debet. Jam vero duo illi panni (lit. A. B. F. D. et C. B. G. E.), qui sic formati sunt, sibi invicem appropinquari et in lacunam triangularem ita inseri debent, ut accurate ab iis expleatur, et margines vulneris (lit. AB. et BC.) intime sese contingant. Reunio denique sic instituenda est, ut primum hi margines per suturam circumvolutam conjungantur, deinde vero etiam in angulis oris et reliquis locis sufficiens suturarum copia apponatur.

28) v. AMMON'S *Zeitschrift für Augenheilkunde* Bd. IV. pag. 428.
 PETER'S Dissert. inauguralis de blepharoplastice. Leipzig 1836.

CAP. VI.

Descriptio novae, quam ab Ammon invenit, chiloplastices methodi duabus illustrata observationibus.

Gravissimi momenti et summae dignitatis illa profecto methodus ²⁹⁾ est, quam nuper Illustris ab AMMON, cujus in hac quoque chirurgiae parte experientia et dexteritas multis comprobata est felicissimis exemplis in usum restaurandi labii superioris invenit, quod etsi cancro non tam frequenter afficiatur, multis tamen et congenitis et acquisitis vitiis, in quibus mala syphilitica principalem locum obtinent, obnoxium invenitur. Sic verbi causa non solum in restituenda labii parte deperdita, verum etiam in tollendis multis stomatostenosis haec chiloplastica summi momenti est. Ipsa vero ejus ratio hisce continetur: Chirurgus duobus manus sinistrae digitis labrum superius eo in loco amplectitur, quo primum transplantationem institui vult, alteraque manu incisionem unius et dimidii circiter pollicis a margine hujus labii sub angulo acuto exeuntem sursum ducit. Quo facto ex lege physicali notissima (elasticitatis dico) per simplicem illam incisionem spatium triangulare formatur, cujus utrumque crus unam eandemque longitudinem habet, cujus vero basis formatur per hiantem marginem labialem. Postquam autem operator longitudinem et erurum et bascos hujus trianguli mensus est, delineare debet paulo superius in ejusdem lateris gena propaginem cutaneam, quae parem triangulum consti-

29) CLARUS u. RADIUS *Beiträge zur praktischen Heilkunde*, Bd. IV. pag. 372.

tuat (Vide tab. I. fig. 1.), et praeterea ita comparata sit, ut fere horizontalem situm in gena habeat, atque cum altero suo crure DB apicem trianguli ABC contingat. Ne autem huic propagini idoneum alimenti subsidium desit, cavendum est, ne crura secundi trianguli in apice conjungantur, quapropter tantummodo linearum convergentium instar decurrere debent. Facta sic propaginis circumscriptione sequitur ut excidatur, atque a subjacente tela cellulosa ita separetur, ut nonnisi in extremo utriusque cruris fine F et B cum reliqua genae cute cohaereat. Quod ubi factum est insitio traducis cutanei simplicissima ratione ita peragitur, ut leniter detrahatur, atque in triangularem labii lacunam accuratissime inseratur, id quod tab. I. fig. II. optime illustratum est. Ultimum denique totius operationis momentum in eo positum est, ut vulneris margines per suturas, quibus acus tenuissimae inserviant, (vide tab. I. fig. III.) reuniantur, et omnis locus ab externis injuriis recte muniatur.

Plane eadem operatio post aliquod tempus in altero ejusdem labii latere suscipienda est, quoniam alioquin neque symmetriae legibus obsequi, neque, quod summum est, finem nostrum propositum assequi poterimus. Longum est singulas hujus methodi virtutes multis praedicare, quae nisi sponte eluceant, ex observationibus nunc enarrandis certissime comprobantur.

OBSERVATIO PRIMA.

(Vide. Tab. III. Fig I. et II.)

RICHTER operarius, 57 annos natus, destructione nasi et insigni oris deformitate denotatus, die XX. m. Decembr. anni 1854 ab arte Viri Illustris ab AMMON

auxilium imploravit, qui, quum accuratiorem mali explorationem institueret, haec invenit: Non solum partes molliores, verum etiam ossa, quibus nasus componitur, ita destructa erant, ut pauca tantum eorum vestigia relicta essent, atque magna apertura oculis sese objiceret, quae a nasi radice incipiens totam ejus longitudinem occupaverat. Atrocitas hujus aspectus vix aliquantulum eo imminuebatur, quod residua aliqua cutis particula magnum illum hiatum pontis ad instar in medio trajiceret. Caeteroquin labium superius crassum, suffarcinatum atque cum gingiva subjacente intime connatum fuit. Anguli oris permultis obsiti erant cicatricibus callosis mirumque in modum induratis. Praeter omnem expectationem autem labrum inferius maxima ex parte naturali structura gaudebat, neque cum maxilla erat concretum. Sed partes faciei laterales, pro dolor, cum gingiva firmissimo vinculo cohaerebant, ita ut miserri-
mus homo os aperire plane non posset (vide. tab. II. fig. I.). Masticationis officium procedere nequii, et vix exiguae ciborum particulae magnitudine nucis avel-
lanae per os immitti potuerunt. Aegrotus solummodo per hiatum nasalem spiritum ducere potuit, quia aëris introitus per os fere occlusus fuit. Singuli soni inordinati, quos per nasi aperturam interdum edidit, cum latratu canis verissimam similitudinem habuerunt. Praeterea odor foetidissimus ex angusto ore prorupit, et longiorem in aegroti vicinia moram revera horribilem reddidit. Olfactus prorsus defuit.

Anamnaestica, quae de infelici hoc statu innotuere, momenta haec sunt: Aegrotus constitutione robusta, morbis infantili aetati communibus feliciter superatis semper bona valetudine gavisus erat, donec aliquando

virus syphiliticum in se reciperet. Morbo neglecto syphilis secundaria exorta est, quae imprimis per ulcera partium nasalium et faucium conspicua fuit. Quamvis sub hoc rerum statu multorum, uti profitetur, medicorum auxilium adiret, nemo tamen eorum veram mali naturam suspicatus esse videtur, quinimo fuerunt, qui exulcerationem illam phagedaenicam pro carcinomate haberent. Sic destructio partium magis in dies magisque crevit. Tandem chirurgum Dresdensem aegrotus adiit, qui eum bis inunctionibus mercurialibus subiecit. Ulceribus sic feliciter quidem sanatis salivatio, quae exorta erat, copiosissima effecerat, ut interna genarum pars et labium superius cum gingivis intime concreceret. Sub hoc tempus vidit aegrotum Illustris ab AMMON, cepitque statim operationis consilium, etsi huic multa sese objicerent impedimenta.

Die XXX. m. Decembr. praesentibus viris Experimentissimis HEDENUSIO, GESCHEIDIO, ZEISIO et COLLINO vir Illustris dilatationem oris nec non molestissimam interioris genarum superficiei cum gingiva connatae separationem suscepit. Id primum eo effecit, ut praemissa medii labii superioris incisione, qua sibi aditum ad partes concretas patefecerat, peculiare illas utriusque lateris synechias, quae multas trabeculas tendineas usque ad isthmum faucium vergentes formaverant, cum scalpello sejungeret. Sanguinis inde profluentis copia quamvis permagna, tamen mox per injectiones cum aqua frigida temperari potuit. Facultate os aperiendi inde recuperata aegrotus tantam voluptatem sentiebat, ut de doloribus vehementissimis amplius non conquereretur. Nunc autem ad imminuentem inflammationem aliquatenus coërcendam Illustris ab AMMON non solum angulos oris per incisio-

nem unius circiter pollicis dilatavit, iisque protractam et reclinatam mucosam affixit, verum etiam fissuram illam in superiori labro factam pro tempore reliquit apertam. Sed quod praevidebatur et averti per primam operationem haud quaquam poterat, mox evenit.

Die enim XXIX. m. Jan. anni sequentis vir Illustris coactus fuit, ut synechias iterum obortas de novo sejungeret. Eodem die reunionem labri superioris suscepit secundum easdem, quae in operatione labii leporini observari solent, leges, eo tantummodo discrimine, ut de dextro labii dimidio segmentum, cujus latitudo tres circiter lineas explevit, usque ad aperturam nasalem excideret, quippe quod cum subjacente gingivae parte admodum concretum fuit. Destinatum erat hoc segmentum ad formationem novi septi.

Die IV. m. Martii *rhinoplasticen* suscepit, non sine maxima difficultate, quoniam locus ille, cui novus nasus per suturas affigendus erat, multis cicatricibus obsitus fuit. Nihilominus tamen operatio prosperrimum successum habuit, si illud excipiat, quod sexto post operationem die parva pars septi per gangraenam destructa sit.

At enim vero quum repetitis vicibus novae genarum synechiae orirentur, quae iteratam operationem jam postulaverant, et praeterea ad novi septi formationem particula cutis denuo e labio superiori excisa esset, Illustris ab AMMON methodum hucusque a nemine adhibitam excogitavit, qua non solum maximis illis molestiis finis imponeretur, verum etiam deformitas magnopere imminui posset. Primum igitur in dextro labii superioris latere incisionem longitudine unius et dimidii pollicis fecit, qua simul via patebat ad separandas synechias in-

ternas, quae magnam illo die extensionem iterum nactae erant. Quo facto triangularem genae panniculum circumcidit, cujus utrumque crus longitudine aequiparavit incisioni labii superioris, cujusque basis pollicem circiter dimidium explevit. Caeterum triangulus ille cutaneus ita constructus fuit, ut alterum ejus crus cum fine suo incisionem labii, quae ab initio facta erat, attingeret. Nunc vir Illustris hunc panniculum a partibus subjacentibus separavit, deflexit et in triangularem labii superioris lacunam inseruit, ut ejus basis accuratissime cum reliquo labii margine decurreret. Reunionem ubicunque per suturas circumvolutas peregit, quibus ejusmodi acus inserviebant, quibus insecta plerumque affigi solent. Impositis sic viginti duabus suturis aegroti aspectus statim multo emendatior apparuit. Sublata fuit pristina labii superioris tensio ejusque ad maxillam superiorem compressio, atque sperari omnino potuit, fore ut in posterum concretio non iteretur.

Subsequente die propter vulnerationem haud medio-
crem, quae in persecandis synechiis evitari nequuit, tumor faciei satis vehemens exorta erat, ita ut verendum esset, ne abscessus formarentur. Atqui tumor subsedit, et prima intentio earum partium, quae per suturas junctae erant, felicissime evenit.

Die XXV. m. Maji item in latere sinistro chilo-
plastica instituebatur eadem quidem agendi ratione, qua in altero latere id factum erat. Neque tamen hoc die cum novis labiorum et gingivarum concretionibus dimicandum fuit, quapropter haec ope levior processit. Sed paulo post operationem praesertim hora vespertina panniculus insiticius ceteroquin calidus neque corrugatus

colorem e coeruleo nigrescentem accepit, qui sub digito premente magis rubuit.

Statim nonnullae suturae in regione ejus pediculi solvebantur, ut qualiscunque earum pressio averteretur. Quum tamen sequente die sanguinis reditus e cute transplantata maximopere praepeditus maneret, quoniam ejus radix cicatricibus inveteratis circumdata erat, hirudines applicabantur. Nihilo minus postero die praevidendum erat, superficiale propaginis stratum in gangraenam esse abiturum. Suturae nunc removebantur omnes, exceptis duabus inferioribus ad labii marginem positis, quae quum labium perrupissent, de novo imponi debebant. Sub hac rerum conditione reunionem natura peragere nequii. Cutis superficies magis magisque nigrescebat, ita ut post nonnullos dies stratum gangraenosum cum minori forcipe facile removeri posset. Attamen pars aliqua propaginis veluti nucleus, sana remansit, atque post suppurationem intimum cum labio nexum accepit, ita ut, quamvis non magnum per hanc operationem adduci potuerit emolumentum, nulla saltem noxa secuta sit.

Elapsum est post has operationes biennium. Quare ut de continuo earum felici successu certi quidquam hic pronuntiare possem, mense Maji anni currentis in pagum natalitium RICHTERI ipse me contuli, eumque bona valetudine gaudentem inveni. Rhinoplastices effectus sine dubio egregius dicendus est, quippe qua non solum formae gratia, verum etiam functiones narium optime restitutae sunt. Caeterum os bene formatum et sufficienter dilatatum reperi (vide: tab. III. fig. II.). Praeterea res quaedam singularem attentionem mereri

visa est, quam imprimis LISFRANC et DIEFFENBACH pluries observarunt. Etenim quum in exploranda narium natura digitos iis leviter admoverem, conquerebatur homo de titillationis sensu peringrato in ea frontis regione, e qua propago nasalis excisa erat.

OBSERVATIO SECUNDA.

(Vide: Tab. IV. Fig. 1 et 2.)

GEHARDTIN ancilla 51. annos nata contagio syphilitico neglecto luem universalem sibi contraxerat, quae sub ozaenae forma prorupit, et characterem admodum malignum ostendit. Postquam per longum temporis spatium medico cuidam curationis causa tradita fuerat, qui continuum mali incrementum praepedire non valuit, ineunte anno 1854 Dresdam profecta est, ubi in nosocomium recepta summa medicorum cura gavisata est. Elapsis autem sex mensibus, intra quos non solum frictionibus mercurialibus, verum etiam mercurio sublimato uti debuit, nondum plane restituta domum redire conata est. Quod praevidendum erat, mox evenit. Nam malum syphiliticum pristina vehementia recrudit, atque tantopere crevit, ut non solum partes cartilagineae, conchae et septum nasi maximam partem eo corriperentur, verum etiam palatum durum jam destrui inciperet. Labium superius corrugatum et collapsum fuit atque deficiente sic justo velamine maxilla superior denudata et gingivae magnopere tumentes apparuerunt, quod e fig. I. elucet. Sic factum est, ut etiam respirationis, manducationis et locutionis facultas valdopere turbaretur. Quum insuper nonnulli dentes excidissent, per majora

eorum interstitia salivae effluvium magnum fuit atque turpissimum adspectum praebuit. Dentes superstites scabri, exesi et ferruginei fuerunt, atque foetidum odorem ediderunt. Sub tristissimo hoc faciei et universae valetudinis statu aegrotans nova spe sanationis commota mense Jan. anni sequentis ad virum Illustrum ab AMMON properavit, qui eam in curationem recepit, atque post breve tempus per decoctum ZITTMANNI a malo syphilitico liberavit. Atqui deterrima partium exculceratarum jactura remansit, quae ipsi vitae periculum minitata est. Etenim orificium oris tam coarctatum fuit, ut ne cochlearium minus quidem immitti potuerit. Cibi fluidi ore recepti statim ad aperturam nasalem adscenderunt. Sic tantummodo ab operatione auxilium sperari potuit. Quapropter Illustris ab AMMON mense Febr. sublatis illis, quae inter genas et gingivas obortae erant, synechiis, chiloplasticam sinistram et dextram secundum suam methodum peregit, et mense April. rhinoplasticen DIEFFENBACHIANAM exercuit. Utramque operationem inflammatio genarum erysipelatosam insecuta est, quae tamen mox mitigari potuit, et nullam praeterea perniciem provocavit. Reunio partium insitarum feliciter per primam intentionem evenit. Sic successus hujus operationis in universum optimus dici debuit, etsi ab initio margines partium implantarum suffarcinati apparuerint, unde similitudo cum labiis canis venatici oriri potuit. Sed illi margines mox subsederunt planique redditi sunt; nec non anguli oris bonam formam acceperunt. Os ipsum iterum satis operiri potuit (vide tab. IV. fig. 2.). Caeteroquin faciei habitus per utramque operationem plasticam ita emendatus est, ut non solum turpis ad-

spectus prorsus sublatus sit, verum etiam narium et labiorum functiones ad sanitatem redierint. Contigit mihi, ut nuper, elapsis post operationem duobus circiter annis hanc ipsam feminam viderem, et de perdurante ejus bona valetudine mihimet ipsi persuaderem. Respirationis, loquelae, masticationis caeteraque narium et labiorum officia absque impedimento rite nunc procedunt. —

CAP. V.

De stomatopoeseos methodis.

Quod nunc superest, ut de his quoque methodis exponam, id multis de causis breviori sermone absolvi potest, quum excepta methodo WERNECKIANA et DIEFFENBACHIANA reliquae omnes aut obsoletae, aut illis adscribendae sunt doctrinis, quae de operatione labii leporini et vulnerum curatione in universum agunt. Praemonendum autem est in hac restitutione oris ipsam chioplasticam saepe maximas partes agere, quoniam sine labiorum naturali forma os bene formatum cogitari nequit. Nihilominus tamen mera labiorum restauratio a stomatopoesi separanda est. Haec novissimo demum tempore inventa est. Quamvis enim et in aperiendo ore connato et in dilatando coarctato jam veteres desudarent medici, tamen nullam agendi rationem novērunt, qua impedire valerent, quominus post dilatationem os iterum concreceret. RUDTORFFER³⁰⁾ primus fuit, qui meliorem rationem excogitavit et ad recentiores methodos quasi transitum patefecit. Suasit enim in illis locis, ubi anguli oris positi esse debeant, genam primum perforare, dein filium plumbeum in canales sic formatos imponere et tamdiu in iis relinquare, donec parietes eorum sanati sunt, Quo facto incisiones ab his canalibus usque ad orificium oris duci voluit.

30) Vide: RUDTORFFER'S *Abhandlung u. s. w.* Bd. II. S. 478.

Hac inventione KRUEGER-HANSEN cum felicissimo successu primus usus est. Attamen huic methodo multa incommoda sese insinuabant, in quibus hoc gravissimum erat, quod labiorum justa formatio plane negligebatur. Quod quantopere evitandum sit, inprimis WERNECK et DIEFFENBACH senserunt. Ac primum quidem WERNECK³¹⁾ jam anno 1817 in dilatando orificio oris nec non in formatione ejus angulorum coalitionem partium separatarum eo avertere studuerat, quod tunicam mucosam internam extrorsum verteret eamque margini exteriori annecteret. Videtur tamen hujus inventionis gloriam non admodum appetisse, quum eam demum anno 1850 publicaret. Haud multum ab hac methodo ea discrepat, quam recentissime Celeberrimus DIEFFENBACH³²⁾ proposuit. Operandi ratio haec fuit: Parvum illud foramen, quod plerumque loco oris superest in utrumque latus dilatavit, ea tamen cautione, ne tunicam mucosam laederet. Propterea apicem forcicis acutissimae in superiorem hujus foraminis angulum ingressit et ab uno ejus latere integumenta communia a subjacente mucosa disjunxit. Protrusit nunc immissam forcicem versus illam genam, in quam ipsa ab initio directa fuit, atque incisionem eo usque fecit, ubi angulus novi oris in hoc latere poni debuit. Similimam incisionem priori parallelam ab inferiori foraminis angulo versus idem latus duxit; quo facto utramque incisionem brevi sectione circulari eo in loco conjunxit, ubi angulum oris formare voluit. Deinde eam

31) Dr. WERNECK. *Ueber die künstl. Mundwinkel- und Lippenbildung*; vide bibliographiam.

32) Dr. DIEFFENBACH *Chirurgische Erfahrungen, besonders über die Wiederherstellung zerstörter Theile etc.* I. pag. 40.

partem cutis, quae inter utramque illam incisionem interposita est, accurate a tunica mucosa separavit. Plane eadem ratione partem cutis in altero foraminis latere excidi vult. Deinde sic pergendum est: Pacato sanguinis profluvio maxilla inferior versus inferiora ita movetur, ut mucosa jam denudata intendatur et quasi eam formam referat, quam membrana natatoria avis aquaticae habet. Nunc vero haec mucosa, quantum fieri potest circumcirca ab interna genae parte separatur, et in medio denique usque ad oris angulos dissecatur. Arteriae sanguinem effundentes aut aqua frigida, aut per torsionem compesci debent. Ad finem sequitur, ut vulnera cutanea tunica mucosa cingantur, quae propterea primum in media labiorum parte dein in angulis et reliquis oris locis protrahi, extrorsum verti et cum margine externo cutis facialis per suturam cruentam aciculorum ope affigi debet. Finita operatione fomentationes frigidae admodum laudantur, quibus saepissime contingit, ut jam post viginti quatuor horarum spatium nonnullae suturae removeri possint. Hanc igitur methodum adhibere solet Celeberrimus DIEFFENBACH in ejusmodi potissimum casibus, ubi rima oris ita coaluit, ut parvum tantummodo foramen supersit, Supra³³⁾ jam commemoravi DIEFFENBACHUM tres species principales atresiae sic dictae oris proposuisse, quarum unaquaeque peculiare auxilium chirurgicum expostulat. In prima specie interna genarum et labiorum superficies cum maxillis concreta est³⁴⁾, ita ut os clausum sit, externa vero la-

33) Cf: etiam ROSE diss. I. pag. 12 etc.

34) Cum hoc statu morbozo membranae mucosae comparari possunt, quae de natura symblephari dicta invenimus in: Dr. F. A. v. AMMON, *Das Symblepharon und die Heilung dieser Krankheit*

biorum structura integra inveniatur. Frequentissima harum synechiarum causa in nimio remediorum mercurialium usu posita est. Efflagitat hoc malum dissectionem adhaesionum illarum spuriarum, quae aut cultro DIEFFENBACHIANO, aut si cohaesiones magis in postico collocatae sint, forfice institui solet. Qualem vero secunda species requirat operationem pluribus modo exposui. In tertia oris concreti specie labia externa per amplum spatium deleta inveniuntur, ita ut dentes suo velamine careant, et maxillae a se invicem removeri nequeant. Nonnunquam insuper os spurium in una gena sedem habet, dum altera gena per cicatrisationis processum ultra illum locum protracta est, quo os antea positum fuit. Hoc vitium rarissimum est. Enarrat Celeberrimus DIEFFENBACH ejusmodi observationem³⁵⁾ atque methodum complicatam quidem, sed maxime ingeniosam exponit, qua in sanando tristissimo hoc vitio ipse aliquando usus est.

*durch eine neue Operationsmethode. 2. Auflage. Dresden 1854.
Walther'sche Hofbuchhandlung.*

35) Vide DIEFFENBACH l. l. 3. Abthl. pag. 110. —




Fig. 1.




Fig. 2.




Fig. 3.




Fig. 1.




Fig. 2.






Fig. 1.





Fig. 2.






Fig. 1.




Fig. 2.

